

D F N

1604



00  
1A  
0020

+



DISPUTATIO BIBLICA XXV.  
De 30. 31. 32. 33. Capitibus  
Geneseos, ad privatam συζητησιν  
proposita.

à

SALOMONE GESNERO, S. S.  
THEOLOGIÆ DOCTORE ET PRO-  
fessore publico, in Academia  
Vitebergensi.

De qua

Die 25. Iulij Anno 1599. Deo auxiliante respondebit

M. FRIDERICVS BALDVINVS  
Dresdensis Misnicus.



VVITTEBERGAE,  
Imprimebatur Typis Meißnerianis,  
M. D. XCIX.



EXCELLENTISSIMIS VIRIS  
Autoritate, Sapientiâ, & Virtute  
longè præstantissimis

Dn. D. SALOMONI ALBERTO  
Dn. D. GEORGIO LEVSCHNERO

Præclarissimis Medicæ familiæ in Electorali  
aulâ Dresdensi ocellis, Dominis fautori-  
bus & magnis patronis meis

*Quæstiones hæcæ biblicæ debite gratitudinis  
ergò L. M. Q. offero & inscribo*

*M. Fridericus Balduinus  
Dresdensis.*

## Posterior pars capituli 30. Geneseos.

1. Quo pacto Iacobus 14. annos pro uxoribus seruerit, hactenus cognovimus. Iam videndum, qua ratione opes servitio acquisiverit.

### *Questio prima quomodo Iacob à Labano dimissionem petierit.*

2. Cùm enim Iacobus, nato Iosepho, jam tempus esse existimaret, redeundi in patriam, Socerum suum hoc pacto compellat: *“ Petitio mis-*  
Dimitte me, ut vadam in locum meum, & in terram meam: Da *“ sionis.*

mihì uxores meas & liberos meos, pro quibus (uxoribus) servi-

vi tibi, ut abeam, quoniam tu nosti servitutem, qua servivi tibi.

3. Laban autem ad hanc postulationem ita respondet: Si nunc *“*

inveni gratiam in oculis tuis, quibus verbis subest, καὶ ὑπόνοια, *“*

petitio, qua à discedendi proposito generum dehortatur.

4. Causam etiam addit, qua benevolentiam Iacobi captat, *“*

quod ait: Experimento didici, quod benedixerit mihi Dominus, *“*

propter te. Vbi quidem verbum *שבע* propriè augurari, eq̃ *“ An Laban su-*

volucrum cantu & volatu divinare significat, sicut etiam Septu- *“ erit augurij*

aginta reddiderunt *διωρισάμενος*, augurarer. Neq; quicquam im- *“ deditus.*

pediret, quò minùs Labanum augurij & alijs superstitionibus

deditum fuisse (cùm idololatra fuerit) statueremus, ut Theodo-

retus existimat quæst: 86.

5. Nisi hìc pro subiecta materia verbum *שבע* melius in gene-

re exponeretur de quacunq; observatione & experientia, q. d.

re ipsa expertus sum & animadverti: Quo significatu eadem vox

à servis Benhadadi usurpatur. 1. Reg. 20. v. 33. Sed ea de re plu-

ra Gen: 44. v. 5. & 15. annotanda fuerint.

6. Ac ut Laban petitionem suam obtineat, ejusmodi addit po- *Mercedem*

stulationem: Nomina mihi, inquit, mercedem tuam, & dabo. *“ indicere.*

Græci habent *διάσελον τὸν μισθόν σου*, distingue mihi, seu, distinctè

significa mercedem tuam. Hieronymus, constitue mercedem

tuam. Onkelus similiter *שבע* id est, discretè & apertè nomina.

Nam verbum *שבע* significat perforare, item maledicere, & de-

nique nominare.



7. Ac tametsi hæc postulatio Labanis æqua videri posset, iniqua tamen est, & avaritiæ plena. cum Socerum operas sui generi hoc pacto minimè conducere, sed dotem potius numerare deceat.

*Jacob fidem  
suam prædicat.*

8. Ad eam petitoriam Labanis orationem responsio Jacobi tribus membris absolvitur, quorum primum habet obtestationem, (*Tu novisti, quomodo servierim tibi, & quale fuerit pecus tuum apud me.*) Licet enim citra arrogantiam testimonio bonæ conscientia gloriari, Psal. 7. v. 5. 2. Tim. 4. v. 7.

9. Alterum est celebratio divinæ erga Labanum beneficentiæ (Nam exiguum, inquit, quod erat tibi ante adventum meum, id evasit in multitudinem.)

*Pes pro ad-  
ventu.*

10. Cujus εὐλογίας causam addit è propria Labanis confessione repetitam: (*Benedixit Dominus tibi ad pedem meum.*) Pedem autem vocavit adventum juxta Theodoretum.

11. Etsi enim aliena fide ac meritis nemo coram Deo justificatur, sed justus fide sua vivit, Hab. 2. Piorum tamen fides & intercessio bona spiritualia & corporalia sæpe etiam impijs à Deo impetrant, Jacob. 5.

*Jacob vult  
rem familia-  
rem propriam  
instituire.*

12. Tertium denique membrum petitionem dimissionis repetit, comprehensam in apposita causa à tempore, (*Et iam, inquit, quando ego facturus sum, scilicet rem, pro mea domo seu familia.*) A Hieronymo sic ista redduntur: *Iustum est igitur ut provideam aliquando domui meæ.* A Græcis ita: *Nunc igitur quando faciam ego etiam domum mihi.* Quæ interpretationes eodem redeunt, quod Jacobus velit, juxta Dei ordinationem, Gen. 2. 24. Soceri familiam relinquere, & propriam instituire.

13. Etsi proinde Laban, si ullam paternæ societatis scintillam haberet, hoc generi institutum approbare debeat: rogando tamen instat, & mercedem, tanquam servo, iterum offert, (*Quid dabo, inquit, tibi?*) De dote interim & legitima filiarum verbum nullum.

*Questio secunda, de pactione mercedis  
pro servitio Jacobi.*

14. Jacob

14. Iacob hac importuna soceri flagitatione victus, mansu-  
rum se pollicetur, mercedem autem ab ipso accipere recusat,  
dum ait: (Ne dederis mihi quicquam.) Intelligit enim hominis  
avari ingenium, de quo Salomon Prov. 23. Avarus in similitu- *Avari inge-*  
dinem arioli & conectoris æstimat cibum suum, & dicit qui- *nium.*  
dem comede & bibe, mens interim ejus longè aliter affecta est.

15. Quamobrem Patriarcha aliam pactionis conditionem pro-  
ponit, non Labani pollicitatione, sed divinâ promissione, Gen.  
28. v. 15, suffultam, dum sic ait: (Si facturus es rem hanc, ite-  
rum pascam gregem tuum & custodiam.)

16. Quia vero conditio à Iacobo proposita non nihil obscuri- *Pactio Iacobi*  
tatis habet, Hieronymi doctissima interpretatio apponenda vi- *à Hieronymo*  
detur, qui totum hunc contextum ita reddit: Vis, inquit Iacob, *exposita.*  
me servire tibi etiam alios septem annos, fac quod postulo: Se-  
para omnes discolors & varias, tam oves quam capras, & tra-  
de in manus filiorum tuorum. Rursumq; ex utroq; grege alba  
& nigra pecora, id est, unius coloris da mihi. Si quid igitur ex  
albis & nigris, quæ unius coloris sunt, natum fuerit varium, me-  
um erit: Si quid verò unius coloris, tuum. Rem non difficilem  
postulo. Tecum facit natura pecorum, ut alba ex albis, & ni-  
gra nascantur ex nigris: Mecum erit justitia mea: Dum Deus  
humilitatem meam respicit, & laborem.

17. Per suam justitiam non modò virtutem ipsam, quâ Laba-  
no sua se relicturum intacta pollicetur, ut sequentia stipulatio-  
nis verba ilicò ostendunt, quibus ait: (Cum ventum fuerit ad  
mercedem meam, scilicet accipiendam, coram te.) Sed in primis  
justitiæ præmium divinam benedictionem intelligit, id quod è  
verbo *וַיִּשְׁמַע* quod preces exaudire & ad illas respondere proprie  
significat, apertissimè patet.

18. Scit enim, divinam benedictionem divites facere, Prov. 10.  
Nec non avaros suas proprias domos demoliri, Prov. 15. v. 27.

19. Postremò gravissima est viro pio hæc obligatio, ad quam  
iniquis Labani suspicionibus adigitur, ut dicat; (Omnia, quæ  
non fuerint varia & maculosa & fulva, tam in ovibus quam in  
capris, furtiva habeantur) q. d. si quid in meo grege repertum  
fuerit non maculosum, pro furto æstimetur.

20. Ad hæc Laban (En, inquit, utinam sit juxta verbum tuum:) (En) rei deliberationem, (utinam) approbationem, (sit juxta verbum tuum,) stipulationem denotat. Et hinc iterum  $\omega\lambda\epsilon\sigma\upsilon\sigma\iota\alpha$  Labanis apparet.

### Quæstio tertia, de variegatis baculis Jacob.

Genera pecu-  
dan Labani.

21. Hactenus de pactione: sequitur ejus executio à vers. 35. Et primo Laban absq; mora eodem illo die hircos  $\eta\epsilon\kappa\epsilon\tau\iota\mu$ , id est, variegatos,  $\eta\psi\lambda\alpha\iota\mu$  & maculosos, & deinde omnes capras (qui alter grex est)  $\eta\eta\kappa\epsilon\tau\iota\mu$  variegatas & maculosas, & denique quod album quiddam aut nigrum habebat aspersum inter agnos seu oves (qui tertius est grex) id, inquam omne tradidit in manus filiorum suorum: constituto inter gregem ipsorum & Jacobi triduum itineris interstitio. Adeo nimirum circumspiciet cavet, ne quid Jacobo accedat.

22. Atq; hæc de Labani instituto. Ex altera parte Jacobus est, qui pascit residuas unicolores ejus pecudes, & singulari stratagemate ex illis ditescit, de quo sequentia sunt consideranda.

Jacob suum  
stratagema  
ex Deo habet.

23. Primò, quod non proprio ausu, sed divino instinctu hoc fecerit, ut è capite 31. v. 9. 10. 11. apparet: Ideoq; rectè Alcuinus & alij ab omni fraude Jacobum excusant.

Porulus  
arbor.

24. Deinde ad materiam quod attinet, adhibet Jacobus tria lignorum genera. Primum est  $\text{לִבְנֵי}$  libnei, quod de populo Hieronymus & Onkelus, græci de Styrace, cujus resina officinis Styrax nuncupatur, eaq; a Plinio li. 12. ca. 17. describitur, exponit. Sed consentiunt linguæ Hebrææ periti  $\text{לִבְנֵי}$  significare populum, quæ ab albedine, qua, detracto cortice, candet, Græcis pariter ac Hebræis  $\lambda\epsilon\upsilon\kappa\eta$  dicta est.

Corylus.

25. Alterum genus est  $\text{אֵז}$ , quod supra cap. 28. de corylis accipi indicatum est. Hieronymus & Onkelus virgas amygdalinas, Græci  $\kappa\alpha\sigma\tau\alpha\lambda\eta\mu$  nucem vertunt.

Platanus.

26. Tertium denique est  $\text{אֶשְׁכּוּל}$ , quam Græci de Platano, ut Hieronymus & Onkelus, alij vero de castanea interpretantur.

27. Qui delectatur Allegorijs Procopium consulat, qui de tribus istis arboribus multa non ineptè commentatur.

28. Materiz



28. Materiæ tertio loco adjungitur ejusdem præparatio, de qua Moyſis ſententia hæc eſt, quod Iacobus baculis cortices ex parte detraxerit, ita ut album, quod ſub illis latet, emicaret, virgæq; verſicolores fierent.

29. Quartum porro eſt ipſa ars, quod Iacobus virgas varie- *Ars Iacobi*  
gatas poſuit, ſeu juxta Onkelum, defixit, in canalibus, ut greges, cum ad bibendum veniſſent, eas in oculis haberent, inq; illarum aspectu conciperent.

30. Conceptio Hebræa voce  $\text{דָּוָן}$  exprimitur, cujus vis, ut ait Hieronymus, niſi circuitu exprimi non poteſt. Iehammenna *Verbum Iacobi*  
enim, ut ipſe habet, propriè dicitur extremus in coitu calor, quo *cham*  
corpus omne concutitur, & patranti voluptati vicinus eſt finis.

31. Ac cum David Pſal. 51. dicat, in peccatis  $\text{אֲשֶׁר בְּרָחַמַי}$  concipi- *Originale peccatum.*  
endo calefecit me mater mea, manifeſtum inde eſt, maſſam, è qua in utero formamur, originali peccato eſſe contaminatam, *catum.*  
Iob. 15.

32. Poſtremò eventus commemoratur, ver. 39. quod nimirum oves & capræ in verſicolorum baculorum intuitu concipiendo verſicolores etjã pecudes pepererint.

33. Vbi quæritur, num in virgarum phyſica qualitate & oc- *Phantasia vis in conceptione.*  
cultâ facultate, an potius in figura vis illa quærenda ſit. Sed juxta Hieronymum effectus hic non à baculis, ſed ab imaginatrice pecudum facultate promanavit, id quod idem experientia mulieris, quæ Æthiopem ex intuitu Æthiopis pepererat, & iudicio Hippocratis, nec non equarum apud Hiſpanos comprobabat, quod in imprimenda ſoboli imagine concipientium & prægnantium phantasia plurimum valeat.

34. Hinc itaq; patet, rem iſtam partim è phyſicis, partim hyperphyſicis promanasse cauſis. Vnde rectè ſentit Theodoretus quæſt. 85. Iacobum non quidem virgis conſiſum eſſe, ſed opem divinam expectaſſe.

35. Et Chryſoſtomus, non juxta naturæ ordinem, inquit, erat, quod fiebat, ſed valde admirabile, & naturæ ordinem tranſcendens.

36. Et quod phyſicas cauſas attinet, conſideratione digna ſunt illa, quæ Auguſtinus lib. 3. de Trinit. cap. 8. eruditè hinc infert, quorum

quorum primum est, quod naturales causa absque occulta Dei operatione nihil possint, 1. Cor. 3. v. 6. 7.

37. Sicut etiam Procopius ratiocinatur: Si merè naturale hoc erat, qui fit, quod & Labanus eo astu & solertia non est usus? Quamobrem Angelus præmonstravit usum virgarum, quæ hunc effectum habeant non ex sese, sed occultâ quadâ virtute divinâ.

38. Deinde istud etiam colligit Augustinus, sicut Iacob non idcirco creator colorum in pecoribus fuit: Ita multo minus diaboli & eorum ministri, magi, qui occultarum in natura virum adminiculo mira aliquando patrant, creatores censendi sunt.

*Augustini sententia de artificio Iacobi.*

39. Tertio inde extruit, intimam esse corporis & animæ communionem ac participationem: ut enim sic ex semetipsis, inquit, afficiantur, vel anima ex corpore, vel corpus ex anima, congruentiæ ratione id faciunt.

40. Quarto ut de pecoribus, inquit, non virgæ, sed pecora nascerentur, fecit hoc incommutabilis & invisibilis ratio sapientiæ Dei.

41. Deniq, ex eo æstimare licet, quanta sit vis animæ & phantasiæ ad afficiendam atq; mutandam corporis materiam. Hæc Augustinus.

42. Cæterum quo pacto Iacobus sibi peculiarem gregem constituerit, & divinâ benedictione supra modum ditatus fuerit, vers. 40. 42. & 43. indicatur.

42. Quod autem versu 41. scriptum est, Iacobum arte sua in priore tantum admissura, qua nimirum meliores nascuntur, non item in posteriore seu autumnali, qua serotina & cordæ Latinis dictæ eduntur, adhibuisse, de eo sic censet Hieronymus: Prudens & callidus justitiam & æquitatem in nova arte servabat, ne omnes fetus Labano eriperet.

### CAPVT XXXI.

1. Absolutâ historiâ de exilio & servitute Iacobi, jam reditus illius in patriam considerandus erit, qui sequentibus tribus capitibus describitur. Nam in 31. discessus ejus a Labano, 32. iter in patriam, 33. Esavi occursum & Iacobi in Sichemico agro habitatio narratur.

*Questio*



*Questio prima, quæ causa Jacobum ad discessum  
à Labano impulerint.*

2. Principiò Moyſes tres cauſas commemorat, quæ Jacobum ad parandum abitum impulerint. Vnam præbent calumniæ & iniquæ querelæ affinium, filiorum Labani, v. 1.
3. Altera verò erat ipſius ſoceri Labani inuidia & ſimultas, quam vultu quoque prodebat, v. 2.
4. Accedebat deniq, ſpeciale Dei mandatum, v. 3.
5. Si quæras, an à Jacobo per ignauiam & avaritiam peccatum ſit, ut cenſet Calvinus, quod tam diu reditum diſtulit, præſertim cum, Labano toties pactum violante, optimo eum jure deſerere potuiſſet? Reſponderim, licuiſſe quidem abire citius, ut è præcedenti dimiſſionis petitione apparuit, tutius autem fuiſſe, diuinum mandatum expectare, juxta promiſſionem capitis 28. Reducam te in hanc ipſam terram.

*An Jacob peccet moram ne-  
ctens apud Labanum.*

*Questio 2. de impetrato conſenſu uxorum.*

6. Poſtquam Jacob apud animum decreverat abire, cum uxoriſus conſilium ſuum communicat: Non enim invitas vult abducere. Quapropter in agrum vocatis, v. 4. ubi liberius colloqui poterant, cauſas diſceſſus exponit eaſdem, quæ modo ſunt audita, v. 5.
7. Illam tamen, quæ à duritiæ & iniquitate ſoceri petita eſt, exaggerat, ſuam commemorando in ſervitio fidelitatem, v. 6. & illius recensendo injurias, v. 7. & 8.
8. Simul etiam objectioni occurrit, quâ accuſari poterat, quaſi pecorum gregem fraude acquiſiſſet, autorem ejus inventi Deum adducens, verſ. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13.
9. In hac oratione quod Jacob ait, decem vicibus mercedem ſuam à Labano mutatam eſſe, id perperam Græci reddiderunt, quaſi decem agnis privatus ſit.
10. Ac cum quotannis verna fuerit & autumnalis admiſſura, intra ſexennium decies illius merces commodè commutari potuit, ut non ſit opus nos hyperbolen hîc fingere.
11. Verum autem eadem oves bis anno pepererint, quod in Italia & Meſopotamia fieri Hieron. aſſerit, non opus eſt diſcutere.
12. Quem porro Jacob nominat angelum, v. 11. eundem mox

*Jacobi cum  
uxoribus conſultatio.*

*Decem vices.*

B

Deum

Deum fortem, Deumq; Bethelis v. 13. nuncupat. Vnde apparet, hunc esse Angelum illum fæderis & magni consilij, & Michaëlem principem Angelorum, filium nimirum Dei.

13. Ad istam Iacobi orationem Rachel & Lea, ut modestas & morigeras decet uxores, assentiendo respondent. Ac primo querelam de avaritia & iniquitate Labanis ipsæ quoq; comprobant, ver. 14. 15.

14. Cumq; inter se solummodo conquerantur, & præterea verum dicant, peccati in quartum præceptum argui non possunt. Omnino enim credibile est, Iacobum & uxores turpitudinem istam Labanis hæctenus apud alios texisse & excusasse: Licet infra Iacobus coram fratribus, h. e. cognatis & affinibus, importunitate ipsius adductus, eam revelet.

15. Deinde in eo quoq; consentiunt, quod Deus Iacobum de gregibus patris Labani ditaverit, ver. 16.

16. Denique pulcherrima & observatione dignissima gnome concludunt, quæ omnes fideles decet, ut ipsi quoq; dicant. *ὄν ὅσα σοι ἔργηεν ὁ θεὸς ποίει.*

17. Procopius eleganter disserit, facilitatem istam uxorum Iacobi in deserendo patre, typum fuisse conversionis gentium, juxta vaticinium Psal. 45. Audi filia & vide, & inclina aurem tuam & obliviscere populum tuum, & domum patris tui.

*Questio 3. de fuga Iacobi.*

*Confurari, id est, decipere.* 18. Res deliberata ilico in actum deducitur. Itaq; Iacobus cum uxoribus, liberis, familia, omnibusq; suis facultatibus, clam Labano, discedit, vers. 17. 18. 19. quo clanculario abitu Iacobus usitata scripturæ phrasi cor Labani furatus esse, h. est. decepisse perhibetur, v. 20, 26, 27.

*Prima idololatryæ mentio in Moysæ.* 19. De Rachele sigillatim dicitur, quod Theraphim patris sui furata sit. Theraphim Græci vocant εἰδωλα, quodq; sint imagines humanani speciem representantes, historia Davidis & Michol 1. Sam. 15. vers. 22. ostendit. Quod verò ad idololatriam domestico cultu adhibitæ, ut apud gentes Lares & Penates, id è capite Iudic: 17. vers. 5. & 18. v. 14. patet. Nec inepti sunt, qui à Theraphim δεραπέειν deducunt.

*Rachel εἰδωλόκληπτις.* 20. Quo animo furtum hoc à Rachele sit commissum variè divinârunt Rabini & interpretes. Nam Theodoretus existimat, quod voluerit patrem liberare ab impio Dæmonum cultu.

21. Aben

21. Aben Ezra opinatur, illam cavere voluisse, ne pater ex idolis fugam cognosceret.

22. Sed rector est Chrysofomi sententia hom. 57. Neq; hoc absq; causa, inquit, nobis propositum est, sed ut sciamus, quomodo adhuc paternam habentes consuetudinem, idolorum cultui addictæ fuerint.

23. Id quod inde colligitur, quod Rachel imagunculas non abiecit, sed studiosè asservavit, usque dum Iacobus eas abijcere serio graviterq; ediceret, Gen. 35. v. 2. Quod Chrysofomus etiam hom. 57. comprobat.

24. Ad quæstionem, quæ hinc emergit, quomodo nimirum Iacob idololatrias mulieres salvâ conscientia duxerit, respondetur, Labanum ejusque filias unum quidem verumque Deum Israël coluisse, Idola tamen & imagunculas adhibuisse, non quod illa, sed quod in illis, & per illa Deum venerarètur, quo pacto hodiè Pontifici suâ idolomaniâ excusare conantur, licet frustra.

*Qualis idololatra fuerit Labanus.*

25. Et hos quidem nexos Iacob sibi tolerandos existimavit, dum consuetudine animis eluerentur, siquidem divino mandato huic se familiæ adjunxerat.

26. Adjicit Moyses, quousq; Iacob in fuga progressus sit, nimirum usque ad montem Galaad, de quo ita Hieronymus: Galaad mons est, ad quem septimo die profectiois è Charris Iacob profugus venit. Est autem ad tergum Phœnicæ & Arabiæ, colibus Libani copulatus, extenditurq; per desertum, usq; ad eum locum, ubi trans Jordanem habitavit olim Seon rex Amorrhæorum.

*Galaad mons.*

*Quæstio postrema, de reliquis narrationis partibus.*

27. Reliqua narratio perspicua est, quæ istis membris continetur. Principiò quod Laban die tertio Iacobum insecutus sit, vers. 19. 22. 23. 25.

*Congressus Labani & Iacobi.*

28. Deinde quod Deus in somno illum compescuerit, ver. 24. Tertio quàm tumida oratione Patriarcham compellârît, vers. 27. 28. 29. 30.

29. Quarto subjungitur responsio Iacobi, ver. 31. 32. Quinto Labanus omnem Iacobi supellectilem perscrutatur, v. 33. Rachel autem astutia muliebri idola occultat, v. 34. 35.

30. Sexto Iacobi sequitur cum Labano expositulatio, v. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. Postremo res placidè transigitur usq; ad finem capituli.

Gilead seu  
Galhed.

31. Illud unicum hic observari debet, quod Iacob tumulum foederis nominat Gilead seu Galhed, id est, acervum testimonij, Labanus autē Syriaca lingua legar Sahadutha, v. 45. 46. 47. 48.

Iegar Saba-  
dutha.

32. Vnde apparet, Labano linguam Syriacā fuisse vernaculam: nec obstat, quod ejus filia suis liberis Gen. 29. hebraica nomina indiderunt: cū duæ istæ linguæ plurima habeant communia.

Mizpah Spe-  
cula.

33. Nominant etiam congeriem eam lapidum Mizpa, id est, Speculam, è qua Dominus utrunq; intueatur, ver. 49.

Timor Isaac.

34. Quod postremò Iacobus verum Deum appellat pavorem Isaaci, proculdubio ad ἰσχυρὸν illam Gen 27; v. 35. respicit, & Theodoretus rectè ait: Timorem Isaac vocabat pietatem ipsius, hoc est, Deum. Gestabat enim ille in animo timorem Dei.

## CAPVT XXXII.

1. Capitis hujus historia quaestionibus quinque commodè potest comprehendì, quæ commemorant, quid Iacobo in itinere è colle Galed usq; in patriam evenerit.

### *Questio prima, de Mahanaim.*

Fabula Rab.

2. Et principio quidem occurrunt ei angeli Dei, quos perperā Rabini angelos Syriae fuisse, & usq; ad terminum ejus regionis Iacobum comitatos esse somniant.

Angeli.

3. Quod Iacobus eos ilicò agnoscit, è majorum id habet institutione, & propria experientia, Gen. 28. & 31.

4. Castra nominat, quod forma militari apparuerunt, sicut Eliseo 2 Reg. 6.

Mahanaim.

5. In duali numero Mahanaim, id est, duo castra nūcupat, quod illis ex utroq; latere, sive antè & ponè circumseptus fuit, Ps 34.

### *Questio 2. de legatis ad Esavum missis.*

6. A versu tertio usque ad sextum legatio, quam Iacobus ad Esavum fratrem suum misit, describitur, in qua narratione tria sunt observanda.

Seir.

7. Primo terra Seir, in qua habitavit Esau, ea fuit, ubi Kodorlahomor Gen. 14. ver. 5. Horæos percussit: nomen sortita à principe Seir Horæo, Gen. 36. v. 20. Huc enim Esau audito Iacobi adventu commigraverat, Gen. 36. v. 6. 7. 8.

Esau dominus  
Iacobi.

8. Deinde etsi Iacob Gen. 25. benedictione patris dominus Esavi fuerat constitutus: non tamen ei adversatur, quod hic Esavum suum dominum appellat. Quod enim ad ecclesiasticam & spi-

& spiritualem attinet eminentiam, debetur illa Jacobi ejusq; posteris: dignitatem verò civilem fratri libenter cedit.

9. Postremò quod Esavo per nuncios significat, sibi oves esse & boves &c. v. 5. id non ostentationis, sed fratris sibi conciliandi gratia facit. Tria enim Esavum placare poterant. Primò si consideraret, has opes fratrem è divina benedictione habere: deinde apud exteros acquisivisse: deniq; non indigere, ut patrimonium sibi praripiat.

*Opes Jacobi  
Esavo deman-  
ciatæ.*

*Questio 3. de trepidatione & oratione Jacobi,  
donisq; Esavo missis.*

10. Singulare est spiritus sancti donum in Iacobo, quod in subito & ingenti pavore, quo percellitur, cum fratrem exercitum quæringentorum virorum sibi obviam producere audivisset, ve. 6. & 7. consilium è re præsentè capere, animumq; ad preces instituere potest.

*Prudentia Ia-  
cobi in subita  
consternatione.*

11. Constat autem ejus supplicatio exordio v. 9. *δοξολογία* & gratiarum actione ver. 10. tandem petitione defensionis v. 11. 12.

12. Ad eam animi in adversis præsentiam istud etiam pertinet, quod munera, non equidem aurea & argentea, sed quinq; diversorum generum de gregibus suis pecora, ad placandum iratum fratrem præmittit, v. 13. 14. 15.

*Munera Ia-  
cobi.*

13. Quod fidei nõ repugnare, pulchrè docet Augustinus quæst. 22. in Gen. Admonendi fuimus, inquit, hoc exemplo, ut quamvis credamus in Deum, faciamus tamen, quæ facienda sunt ab hominibus in præsidium salutis, ne prætermittentes ea, Deum tentare videamur.

*Mediorum  
usurpatio non  
adversatur fidei.*

*Questio 4. de luctu Jacobi cum Filio Dei.*

14. In luctu Jacobi cum Angelo, quæ penultimum capituli membrum est, principio locus observetur, de quo ita scribit Hieronymus: Iabbok fluvius est, quo transmissio luctatus est Iacob adversus eum qui sibi apparuerat, vocatusq; est Israël. Fluit autem inter Ammon Rabbath, id est, Philadelphiam, & Gerasam, in quarto miliario ejus, & ultra procedens Iordani fluvio permisceatur. Hæc ille. Fit ejus mentio Num. 21. v. 24. Deuter. 2. v. 37. & 3. v. 16. Ios. 12. v. 2.

*Iabbok  
Vel ab Abak  
vel à Bakakæ.*

15. Deinde antagonista, qui cum patriarcha congredditur, non est Esavi Angelus, ut Rabini somniant, sed vir, h. e. humano corpore indutus, vers. 24. & Angelus vers. 27. & denique

*Fabula de an-  
gelo Esavi.*

El, id est, Deus fortis v. 28. 30. Vnde certum, fuisse Filium Dei: ut etiam Oseas cap. 12. v. 5. comprobatur.

Filius Dei lu-  
ctatur cum Ia-  
cobo.

16. Atq; hinc Sirmiensis Synodus conclusit: Si quis cum Iacobo non filium Dei ut hominem colluctatum esse, sed ipsum ingenitum Deum, aut patrem eius dixerit, anathema sit. Socrates lib. 2. hist. Eccl. cap. 25.

Lueta spiritu-  
alis & corpo-  
ralis.

17. Qualis porro hæc lueta fuerit interrogatur: Spiritualis an corporalis? Et Hieronymus sanè super caput 49. Es. ait: Iacob cum Angelo non manibus sed oratione lueta batur. Cui verò obstat, jam dicta Synodi sententia, quod nimirum æternus Dei Filius assumpto ad tempus humano corpore in palæstram cum Iacobo descenderit, idemq; textus comprobatur, 1. quod Antipalæstrita Iacobi vocatur vir, 2. quod juxta Hebræi verbi Abak genuinam significationem concitato pulvere pugnant, 3. quod concertatio ad auroram usq; durat, 4. quod deniq; Iacobi coxendix luxatur.

Angelus palmam  
Iacobo attri-  
buit.

18. Istud etiam explicatione dignum est, quomodo Angelus palmam Iacobo cedat? Et D. Lutherus quidem respondet filium Dei non infinitam suam potentiam exeruisse, sed unius saltem viri robur exercuisse. Augustinus autem lib. 16. de Civ. Dei cap. 39. ut & Lyra de voluntate Christi interpretantur, quod sicut Dominus Matth. 13. non potuit, id est, non voluit facere miracula in patria ob hominum incredulitatem: Ita hîc non potuerit, id est, non voluerit vincere Iacobum, ob eius flagrantissimam fidem. Quæ enim divinæ voluntati in verbo revelatæ repugnât, ea non posse dicitur.

*Questio 5. de benedicto Iacobo, & mutato ejus nomine.*

Israël quid  
significet.

19. Cum itaq; Iacobus Angelum dimittere non vellet, nisi prius ab ipso ille benedictus esset, benedixit eum, nomenq; Iacobi in Israël commutavit, v. 27. 28. quæ nominis impositio juxta Augustinum lib. 16. de Civ. Dei cap. 39. fuit benedictio.

Penuel.

20. Atq; hoc etiam ratio & Etymologia nominis Israël indicat, quæ non est illa, quam nonnulli argutè venantur, quasi Israël sit vir videns Deum, sed quam ipse Dominus hoc loco & Oseas 12. v. 4. explicat, Saricha, inquiens, id est, virum te & principem te gessisti cum Deo & hominibus, palmamq; obtinuisti, v. 28.

21. Gymnasium hoc, in quo Iacobus animo & corpore exercitatus fuerat, novo nomine nobilitatur, ut deinceps Penuel, id est, facies seu conspectus Dei nuncupetur: ratione addita, quia vidi, inquit,



di, inquit, Deum facie ad faciem, id est, coram & manifesta re- *Videre Deum.*  
velatione, sicut etiam Moyfi apparuit, Num. 12. v. 8. De viden-  
do autem Deo Augustinus prolixè Epist. 111. & 112.

22. Quod Iacobus addit, Et salva facta est anima mea: partim  
eo refertur, quod ad conspectum Dei non est extinctus, Exod. 33.  
v. 20. Iudic. 12. v. 22. partim gratulationem habet, pro impetrata  
benedictione & efficacissima consolatione.

23. An claudicatio Patriarchæ pæna diffidentiae fuerit, opero- *Claudicatio*  
se cum Burgensi contendit Lyra. Sed plana est solutio, quod fu- *Iacobi.*  
erit paterna *τιμωρία* & *δοκιμασία*, qua Patriarcha admoneba-  
tur, ne ob amplitudinem revelationum superbiret: Sicut eandem  
ob causam Paulus ab angelo Satanæ pugnis cæsus est. 2. Cor. 12, 7.

### CAP V T X X X I I I.

1. Quatuor membris narratio hujus capituli absolvitur, quæ to-  
tidem quæstionibus expediemus, licet omnia sint plana & perspicua.

*Quæstio prima de dispositione æconomici exercitus Iacobi.*

2. Principio cum Iacobus fratrem quadringentorum virorum  
comitatu sibi obviam procedentem videret, familiam suam pru-  
denter admodum in tres sive quatuor ordines distinxit ver. 1. 2.

3. Quod autem septies in terram provoluitur donec fratri ap- *Iacobi submis-*  
propinquaret ver. 3. id vel more Orientalium, vel etiam preca- *sio.*  
tionis ad Deum ergo factum est, minimè hypocrisicos & adula-  
tionis causâ.

*Quæstio secunda de congressu Iacobi & Esavi.*

4. Sequitur congressus duorum fratrum, in quo principio vide- *Cor Esavi*  
mus Deum in sua manu habere corda hominum. *mutatum.*

5. Deinde cum Iacob ver. 8. 9. 10. 11. inter alia ait: vidi faciem  
tuam, ac si viderem faciem Dei vel angeli, & places mihi, quæ  
verba ut ab assentatione purget multum laborat Augustinus quæst.

105. Sed plana est responsio, quod Iacobus benevolo intuitu  
Esavi non minus sit recreatus, quam antea benigno aspectu Dei  
Gen. 32. 30.

6. Et præterea cum Esavus acerbum illud odium deposuerit  
& poenitentiam egerit, non obscuram angelicæ pietatis & man-  
suetudinis imaginem repræsentavit, qui diabolicum vultum an-  
tea ostenderat. Genes. 27. 41.

*Quæstio tertia, de discessu Esavi.*

7. In

7. In tertio membro commemoratur quo pacto Esavus tandem à Jacobo discesserit ver. 12. 13. 14. 15. 16. 17.

*Jacobus promittit se venturum in Seir.* 8. Vbi quæstio est, num Jacobus mentitus sit promittendo se venturum in Seir, cum tamen aliò postea iter suum direxerit, ut mox sequitur? Respondet Augustinus: Veraci animo promiserat, sed aliud postea cogitando elegit. Quemadmodum videlicet Paulus cogitabat Corinthum, antequam proficisceretur in Macedoniam, cū tamen mutaverit sententiam 2. Cor. 1. 16. 17. Ro. 15. 24.

9. D. Lutheri sententia est, eum non promisisse hoc ipso itinere in Sehir venire, & proculdubio postea, quam parentem salutasset, familiamq; suo loco constituisset, ad Esavum ivisse.

*Quæstio postrema, de habitatione Jacobi in Succoth & Sichem.*

*Succoth.* 10. Digresso Esavo Jacob profectus est in Succoth, vel, Socoth, quod est oppidum trans Iordanum propè Machanaïm, cuius mentio fit Ios. 13. 27. Iud. 8. 5. 6. 7. nomen habet a סוּכּוֹת tugurium seu tabernaculum.

11. Inde verò trajecto Iordane venit Jacobo Salem, quæ non est Hierosolyma, sed Sichem, quæ vrbs Ioh. 4. 5. nominatur Sichar, ubi Abraham primo habitaverat Gen. 12. emitq; agri particulam, in qua figeret tentorium.

*Kesitha.* 12. Emit autem eum angulum numeratis centum Kesitha, id est, nummis, qui ab agnis, quorum nota signati fuerunt, nomen habere putantur iuxta græcam & chaldaicam versionem, Ios. 24. 32. Iob. 42. u. 11.

*Dubium è cap. 7. Act.* 13. Vnde verò dubium emergit, eò quod Stephanus Act. 7. 16. perhibet duodecim Patriarchas Sichemæ sepultos esse in monumento, quod Abraham emerit de Hemor patre Sichemi, cum tamen illa emtio hic Jacobo adsignetur.

14. Sed proculdubio Abrahami nomen incuria librariorum in textum Act. 7. irrepsit, cum verbum, (ὠνήσατο emit,) è superiore Jacobi dependeat.

*Ara Deus Israël.* 15. Postremò de ara, quam Jacobus isthic extruxit, commemoratur, quod eam vocaverit, fortem Deum Israël, simili videlicet forma, quæ Exod. 17. 15. Ezech. 48. 35. usurpatur. Licet hebræus & chaldæis textus eò potius inclinet, quod illo in altari Deum Israël sibi invocaverit.

FINIS.

AB

52

9  
549

ULB Halle 3  
003 140 237



sb.

Wort







14

TIO BIBLICA XXV.  
I. 32. 33. Capitibus  
os, ad privatam συζητησιμ  
proposita.

à

NE GESNERO, S. S.  
Æ DOCTIORE ET PRO-  
publico, in Academia  
Vitebergensi.

De qua

Anno 1599. Deo auxiliante respondebis

ERICVS BALDVINVS  
esdensis Misnicus.



VITEBERGAE,  
atur Typis Meissnerianis,  
M. D. XCIX.

